



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

§. 48. Baldericus Episcopus Noviomensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

annos centum & sedecim tenuerant, us-
 que ad annum Hegiræ quadringentesi-
 mum septuagesimum septimum, Repara-
 tæ Salutis millesimum octogesimum quar-
 tum, quo eam Solimannus, *Cotlounich*
 filius, a *Melic-scha* iussus, obsidione ad
 deditorem compulit. Eam deinde *Me-
 lic-scha* alteri Turcæ nomine *Acsian*, pro-
 pinquo suo, commisit, qui Imperii con-
 tra Califam Fatimitam Ægypti (hujus
 enim Regnum in Syria usque Laodiceam
 protendebatur) fines tueretur. Rebus
 humanis ereptus est *Melic-scha*, anno
 Hegiræ quadringentesimo octogesimo
 quinto, Jesu Christi millesimo nonagesi-
 mo secundo, non plus annis triginta se-
 ptem natus. Successit ejus filius natu
 maximus *Barquiarouc*, sed cum primis
 Regni sui annis bello civili implicaretur,
 Cruciatu eo faciliore negotio in Syria
 vincebant. Præterea quia Turcarum
 Principes maximi momenti rebus Bagda-
 ti & in Persia occupabantur, minor erat
 de Syriæ & Natoliæ finibus cura.

§. XLVIII.

Baldericus Episcopus Noviomensis.

Ratbodo II. Episcopo Noviomensis vita *Epist. to. 5.*
 functo Baldericus unanimi Clerico-
 rum populique consensu sufficitur. Erat *Miscell. Bal-*
 is Dynastæ Sarchinovillensis in Artesia *luz. p. 309.*
 filius, in Ecclesia Noviomensis educatus, *Gall. Chron-*
to. 3. p. 316:

Ecc 4

tunc-

Sæculum XI.
 A.C. 1097.
 Bibl. Orient.
 p. 118.

Sæculum XI.
A.C. 1097.

Sup. lib.
XXXII.
S. 43.

Miscell.
p. 312.

tuncque ejusdem Ecclesiæ Canonicus & Archidiaconus. Manasses Archiepiscopus Remensis, approbata Balderici electione, & die Consecrationis in Dominica, octava Pentecostes, hujus anni millesimi nonagesimi septimi, præstituta ad solemnem hunc Ritus peragendum suæ Provinciæ Episcopus invitavit, speciatim Lambertum Attrebatensem, qui se excusavit, adducta causa, quod viæ publicæ latrociniis infestarentur. Tunc vero Clerici Tornacenses spem conceperunt, effici posse, ut a Jurisdictione Ecclesiæ Noviomensis, cui Tornacensis a S. Medardi temporibus, scilicet abhinc annis plusquam quingentis, junctæ fuerat, liberarentur. Nam ipsis exemplum Ecclesiæ Attrebatensis, ab Ecclesia Cameracensi separata, favebat, cum eadem omnino argumenta suppeterent. Lite igitur contestata, Manasses Archiepiscopus Remensis Baldericum Romam misit, ubi Ecclesiarum Noviomensis & Tornacensis Oratores causam dixerunt. At Papa forsan memor, quantæ molis fuisset Ecclesiam Attrebatensem in libertatem asserere, noluit quidquam de Ecclesiis Noviomensi & Tornacensi decernere, sed Baldericum ad Archiepiscopum Remensem remisit cum mandatis; id statueret, quod Balderico ipsiusque Ecclesiæ Noviomensi magis prodesse, & æquitati ma-

gis

gis consentaneum, crederet. Ergo Archiepiscopus, die Dominica post Epiphaniam anno sequente millesimo nonagesimo octavo Baldericum ordinandum esse, indixit. Atque ita Baldericus, Episcopatum Noviomensis consecutus, annis quatuordecim sedit, vir doctus, atque edito suo Chronico Cameracensi, quod ab origine illius Ecclesie usque ad annum millesimum trigesimum perduxit, celeberrimus.

Sæculum XI.
A.C. 1097.

§. XLIX.

S. Anselmus extra Angliam.

Cum Norbertus Dux Normannie Jerosolymam peregrinari statuisset, ad annos tres, initis cum Rege Angliæ fratre suo pactis, possessione Normannie cessit, accepta pecunia a Rege sibi tradita. Ut vero tantam auri vim colligeret, Rex omnes Angliæ Ecclesias spoliavit, vasa argentea, Sacrarum Reliquiarum arcas, & librorum Evangelii operimenta, abstulit. S. Anselmus, ut Regi obsequeretur, ducentas argenti marcas ex Thesaurō Ecclesie suæ concessit, quas cum non posset præsentē pecunia solvere, ei ad annos septem possessionem prædii, ad Præsulem sustentandum destinati, attribuit. Haud diu post Rex Angliæ, populis Walliæ, qui seditionem moverant, domitis, literis ad Archiepiscopum datis signi-

*Eadmer. 2.
Novor. p. 45.*

E e e s f i c a